



HOUDRY
BIBLIOTHECA
CONCIONATORIA

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

J

BX1757
H6
v. 1

008672



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis



1080016016

1A Sermones an 6 vols — 150, 1111

R. P. VINCENTII
HOUDRY

E SOCIETATE JESU
BIBLIOTHECA
CONCIONATORUM
MORALIS EVANGELICA,

Ethices Christianæ præcipua continens argumenta; ordine Alphabetico
digesta, & Supplementis suo loco positis adaucta:

e Gallico sermone in Latinum translata.

EDITIO NOVISSIMA, cui nunc primum adjectus est TOMUS POSTREMUS
continens duas Tabulas, seu duplices Sermonum, Argumentorumque
Adumbrationes, quæ usum Operis univèrsi faciliorem efficiunt.

TOMUS PRIMUS.
A-D



UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tolosa



VENETIIS MDCCLXXXVI.

EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

- 45284

BX 1757
H6
v. 1

R. P. VINCENTI
HOURY
E SOCIETATE IESU
BIBLIOTHÆCA
CONCIONATORUM
MORALIS EVANGELICÆ
Biblicæ Christianæ præcipua continent argumenta, ordinis Alphabeticæ
digesta, & supplementa suo loco posita adhibita.
e Gallico sermone in Latinum translata.
Ejusdem Nominis, cui nunc primum editus, et Tomus Posterior
continet duas Tabulas, seu duplices Sermonum, Argumentationes
Admonitiones, quæ sunt Operis universi summæ sententiæ.
TOMUS PRIMUS
A-D



Copie de l'original
Bibliothèque de l'Université de Salamanque

UNIVERSIDAD DE SALAMANCA
BIBLIOTECA DE LA UNIVERSIDAD



FCO. METERIO
VALLE DE Y TELLEZ

Superiorum Petri, et Pauli

P R Æ F A T I O.

CUM christiana religio verbo Dei acceptam referre debeat institutionem suam, nullus ambigendi locus superest, quin ad eandem tuendam, latiusque fines illius protendendos divinum idem verbum requiratur, quo populis & fidei veritas, & Evangelii præcepta tradantur. Attamen inter Apostolos, qui primi infidelibus predicarunt, ac ministris Domini, qui hodie Fidelibus divinas leges annuntiant, illud interesse discriminis affirmari potest, quod Apostoli quidem una cum missione scientiam omnem, quæ ad creditum sibi munus rite obeundum requirebatur, acceperant; oratores vero evangelici eandem prolixis laboribus sibi comparare tenentur, mox etiam jugi, assiduoque studio, quo conciones suas meditentur, diligentiori lima perficiant, atque, si opus fuerit, ad invidem revocent, illas hujus sæculi genio accommodaturi; quæ res plurimos deterruit viros alioquin zelo, ingenio, ceterisque dotibus abunde præditos, quæ necessariz ducuntur, ut quis cum laude, atque fructu hoc tanto munere perfungatur. Fatendum enim aliquando est, eam difficultatem, quæ permultos sæpe ab hoc dicendi studio avocavit, hodie ob auditorum difficile ingenium ad summum peccerebuisse, ita ut infiniti propemodum operis sit hujus artis perfectionem attingere, ubi non minus arduum est enitere, quam in profana eloquentia, in qua olim ex sæculorum numero perfectiorum oratorum numerus censebatur. Nunc autem cum adinventæ ratio fuerit non perficendi solum qualibet artes, ac scientias, verum etiam ad illas sternendi viam brevior, facilioremque, opem ferente eorum labore, atque industria, qui easdem complanarunt, atque aperuerunt, cumque hoc pacto imminutus fuerit aliis studiorum labor, atque diuturnitas; de illis tamen, qui operam suam navarunt, ut aliquam facilitatem afferrent concionaturis, (quorum munus adeo utile, vel necessarium potius est religioni christianæ) nonne dici potest, quod de iis predicatur, qui ceteras artes in majorem facilitatem, lucemque vocarunt, hos videlicet eorum gloriæ participes esse, qui primi artes easdem invenerunt, atque excoluerunt?

Hoc autem novissimis hæc temporibus quidam, id vero multiplici ratione præstare conati sunt: alii enim in lucem edidere conciones summa elaboratas industria, quæ tanquam præclara haberi possint exempla; alii vero tyronibus rerum copiam suppeditarunt, Bibliorum, Sanctorumque Patrum locos simul congerentes, quod profecto subsidium est non contemnendum: alii sermonum texturas, ac lineamenta quædam proposuerunt, quæ quilibet pro modo suo replet, atque exornaret indicatis vestigiis insillens; alii denique communium locorum ingenia edidere volumina, ubi in singula argumenta quidquid apud sacros, profanosque auctores legerant, collegerantque, & quæcumque in oratione sacra locum habere posse videbantur, sæculo congestere. Hic sane labor insignem laudem meretur, quippe maxima inde emanat utilitas, quandoquidem concionaturis & tempus, & laborem imminuit. Verumtamen cum singulis propemodum sæculis prædicandi ratio alia fuerit, atque alia, hæc omnia subsidia, quibus majores nostri utiliter adeo usi sunt ævo suo, nullius ferme sunt utilitatis hoc tempore, in Gallia vero præsertim, ubi concionum elucubrandarum ratio ita profors immutata est, ut sit omnino alia ab ea, quæ ante annos quinquaginta consueverat. Ut igitur susceptum munus aggrediar, operæ me pretium facturam puto, si statim operis totius specimen proposuero; mox vero tradidero, quomodo utendum sit, & quænam inde percipi possit utilitas; ac demum singillatim diluero, quæcumque in singulas partes obijci posse videantur.

Cum jam edidisset conciones aliquot in omnia Ethicæ christianæ argumenta, hanc mihi provinciam susceperam, ut amplissimam, locupletissimamque colligerem earum rerum congeriem, quæ de suggestu prædicari possent hodierno concionandi stylo accommodatam. Hoc opus eo concionatoribus acceptius esse debet, quod ad hanc usque diem nihil tale exitit, unde tamquam ex generali, uberrimoque fonte haurire possent ea, quæ ad conciones elaborandas prodesse, & quibus illi uterentur, qui vel concionandi munere jam perfunguntur, vel ad stadium hoc percurrendam vocantur. Re quidem vera ex illis, qui tanti operis, laborisque curriculum ingrediuntur, quidam zelo fervent; verum cum in ipsis necessaria scientia desideretur, gradum sistere coguntur: alii egregias quidem dotes, ut hoc munere cum laude perfungantur, a natura sortiti sunt, ingenium, ardorem, firmam latera, vocem; sed aliis vacantes negotiis carent tempore, & commodo conciones suas preparandi, autographos consulendi, celeberrimos concionatores audiendi, ut ad eorum exemplar erudiantur. Et sane quodnam satis felix ingenium Marte suo invenire potest ea omnia, quæ ad prolixas, solidasque conciones elaborandas in tot, ac tam variis argumentis requiruntur? Non desunt, qui egregiam se navasse operam putent, si sermo sit politus, atque calamistratus; si verba exquisita, ac sonantia, academicas quæstiones potius, quam suggestum redolentia; quin illud sibi negotium facessat, utrum concio ad erudiendum sit satis apta, utrum validis argumentis, iisque apte suo loco dispositis suffulta, atque ut verbo me expediam, utrum sit ad animos auditorum persuadendos, atque movendos idonea. Alios curam, laborumque perosos non pudet alienas recitare conciones, minime veritos, ne plagiarum nota suo nomini inuratur, ita ut labore contenti memoriter edificandi, ac recitandi, quæ ab amanuensibus, vel ab iis, qui concionum a se compositarum mercaturam exercent, emerunt, præclarum laborum suorum fructum se nactos putant, ubi minimi sumptu eam celebritatem, & gloriam acquirunt, quam concionatores, qui multis vigiliis, atque sudoribus opus suum ad invidem perfecerunt, vix adipiscuntur. Itaque neque oleum, neque operam me utarivam amissurum, si primis quidem ea hæc suppedietatem, captivi,

003872

captui, studisque supplerent; secundis, si tempori ab illis in aliis negotiis transigendo consulere; tertiis, si depravata eorum studia redarguerem; novissimis tandem si curam, laboreneque istdem imminuens negligentiam ipsorum exorterem, & ad agendum ipsorum animos excitarem, Propositum vero finem me consecutum arbitratum sum, si in quibuslibet Ethicæ christianæ argumentis materiam ad conciones perficiendas, elaborandasque suppeditarem, qui aliis hoc unum laboris relinquere, ut hæc mea collectanea summa industria, ac labore parata, quatuor enim, iisque ingentibus voluminibus continentur, adirent, atque consulerent. Ubi hoc opus absolvo, mens est, si Deus adsit, atque ætas, jam senio proxima, tantum vitæ, ac valetudinis permiserit, ut immensi operis exitum videre possim, ad præcipuos Panegyricos elaborandos eadem ratione suppellectilem locupletissimam in medium afferere.

Hoc opus inscripti, *Bibliotheca Prædicatorum*: non quod magnificum hunc titulum affectaverim, ut illud a *Locis* distinguam *communibus*, & *Collocatis*, quæ ad curam fontium adeundorum imminuendam congesta fuere: sed quod reipsa hic titulus unus omnium maxime idoneus quamplurimis visus est ad operis usum, atque utilitatem indigendam; potest enim unum hoc esse Bibliothecæ loco Prædicatori, qui illius subsidio adjutus reliquis carere poterit. Primo enim multas continet concionum ideas in singula argumenta pertractandas: in quarum copia difficile puro nequaquam inveniri posse, quæ ardeat; præterquamquod aliæ etiam ex ipsis adhereri poterunt tamquam probationes, rationes, & divisiones ad eam, quæ electa fuerit, explendam, vel ad eam, quæ ex allatarum idearum monitu oborta fuerit, pertractandam, atque amplificandam. Secundo, cum Scriptura præcipuum sit fundamentum, cui præsertim imitti oportet argumenta a concionatoribus afferenda, inde expromuntur loci ad probandum maxime idonei, necnon ex veteri, novoque Testamento afferuntur exempla, & aliquorum locorum applicationes, quæ concioni, quæ omnino christiana esse debet, decorem, atque amplitudinem præbeant. Tertio, his adnectimus Patrum sententias, locosque, ut iis, quæ dicta fuerint, hinc accedere possit auctoritas; immo alios indicamus libros, atque auctores, qui illud ipsum argumentum pertractarunt, diligentius consulendos, ubi operæ pretium censuerint. Quarto, in compendium Theologorum sententia præferuntur in medium; etenim concioni succus, ac nervi deesse non possunt, ubi argumentis ex Theologia penè depromptis, atque oratorio stylo elaboratis fulciatur. Quinto demum, delecti proponuntur ad imitandum loci, iisque satis extensi, ex asceticis, asceticisque concionatoribus desumpti. Hoc, mea quidem sententia, illud est potissimum subsidium, quod expectare possit prædicator juxta hujus temporis consuetudinem concionaturus; ideoque minime reor nimis speciosum huic Operi titulum apposuisse, illud *Prædicatorum Bibliothecam* appellans; metuendum immo mihi potius est, ne hunc ex aliis, qui ante me eodem, atque in simili re usi sunt, videam mutatum fuisse; sed, cum ordinis ratio, methodusque materiam instruendi, ac ordinandi omnino peculiaris sit, hæc mea semper erit propria, omnibusque singularis videbitur.

Quod spectat ad operis elucubrationem alphabeticum ordinem secutus sum tamquam faciliorem, commodioremque; & quoniam argumentorum, quæ de suggestu pertractantur, multitudo me impulisset, ut in totidem titulos opus dividerem, illos in centurias, vel ad summum ad centum, ac viginti redigere conatus sum, sive virtutes, oppositaque his vitia, puta *Humilitatem*, & *Superbiam* simul conjungens, sive ad eundem titulum ea revocans, quæ inter se non admodum distant, veluti *Invidiam*, & *Zelotypiam*, sive demum ea simul pertractans, quæ, licet profus differant, aliqua tamen ratione, & vinculo connectuntur, uti *Blasphemia*, & *Juramentum*. Hoc pacto quam paucissima argumenta me fecisset comperies, & quamvis obiter, ac per transennam aliquod a me pertractetur argumentum, satis tamen superque copie invenire poteris, ut concio ad justam usque mensuram amplificetur. Verum quoniam hoc in ordine consilio quædam suboriri, & in argumentis fecernendis difficultas posset occurrere, cuiuslibet titulo singula præpositum monita, ubi explicite, quæ fuerit in eo pertractando mens nostra, & quæ de re ibi agatur seorsim ad alios argumentis, quæ cum proposito rationem aliquam habere videri possunt, significatur. Fateor equidem, nihil mihi magis crucem fixisse, quam hanc generalium titulorum, ac quo reliqui referendi essent electionem; nam hinc quidem magis obvia eligenda fuerunt argumenta, quæ juxta alphabeticum ordinem se se primum offerunt menti, inde vero aditendum, ut omnia volumina ad paræm ferme molis magnitudinem crescerent. Ad hanc autem proportionem servandam, nemo non videt, multum mihi elaborandum fuisse, ut titulos omnes ita in ordinem congererem, ut quilibet eo in loco, ubi collocandus erat, reperiretur; qui tamen nisi statim occurrat, tabula erit consulenda, quæ ad præcipuum titulum remittet, ubi, quod queritur, satis ample tractatum invenietur.

Hæc ea sunt, quæ ad operis consilium, atque ordinem spectant. Verum quo facilius est usum concipere, in quem concionatores hoc opus convertere possunt, eamque intelligere utilitatem, quam uberrimam inde percipient, eo difficilius est mortalium omnium ingenis placere, easque superare difficultates, quæ se mihi obtulerunt, ut ab operis editione deterrerer. Cui bono, aiebant nonnulli, idque serio, cui bono prædicationem adeo communem efficere, ad eam cuique facillimum aditum aperiendo? Quot imperiti adolescentes, illiterati memorie paulum, temeritatis vero multum afferentes hæc ope suggestum ascendent, eamque sibi provinciam vindicant, quæ tantum ingenii requirit, & in qua alii tantum temporis, laborisque impenderunt? hi cum eruditissimo quoque de vera concionandi gloria discoperant? numquid vulgus indoctum, cuius pars maxima in concione sedet, potest ferre iudicium, utrum triduanus orator suo Marte ea afferat omnia, quæ profert? Qui modico pollet ingenio, nonne discepta concionum membra adeo belle, & eleganter connectere potest, ut ipsis etiam oratoribus succum faciat, & suis auditoribus imponat, qui rerum, quas audiunt, elegantie acquiescentes id unum querunt, utrum, quæ afferuntur, sint bona, præsertim vero cum difficile intelligi possit, utrum sint hinc inde petita, si graphice, atque opportune fuerint colligata, atque connexa? Ad hæc nonne hoc pacto foves multo-

rum

rum inertiam, qui se se prodere festinantes, ac priusquam didicerint, docere gestientes, repente se se tanquam doctores, theologos, atque ejus scientiæ magistros, cuius vix discipuli esse possint, venditabant? Denique nonne hæc ratio est sexcentis Ecclesiasticis adolescentibus anam tribuendi, ut incuriosam, inerte vitam traducant, ac hujus operis subsidio eruditorum, atque supra artem sapientium auram aucupentur? Profecto, si huic objectioni species aliqua veritatis, vel sani sensus inest, in jus omnes illi sunt accerendi, qui ceterarum artium faciliorem usum efficere conati sunt, atque exprobrandi, qui rati se de re publica meritos fuisse perquam bene, illi potius attulere perniciem, eo quod aliorum laboribus pepercerunt, qui ex eorum studiis, vigiliis tantum utilitatis hauerunt. Arguendum igitur erit, ab ipsa adolescentia manus admovere difficultis provincie exercitationi, ineptum esse consilium, ut quis in eo munere periciatur. Inferendum erit, causam esse, ut alii jacturam temporis faciant, illum, qui laborem imminuit sexcentos auctores adeundi, & ibi ea querendi, quæ plerumque non inveniuntur. Afferendum tandem erit, ut Dei verbum ubique prædicetur, non postremum hoc esse consilium, si Evangelicorum præconum numerus imminuatur; quandoquidem illi perstringuntur, atque damnantur, qui opellam suam navant, ut sacrorum oratorum augeatur frequentia, eisque faciliorem aperiunt viam, ut citius propositum sibi finem consequantur. Hoccine igitur negligentiam fovere tot pastorum, missionariorum, serventiumque Ecclesiasticorum, qui confessionibus excipiendis, aliisque optimis operibus obeundis occupati præ temporis angustia conciones suas preparare non possunt, illis ferre opem, ut munus hoc cum aliis conjungant, atque circa tot preparationum labores, ac moras Dei verbum annuncient? At enim hinc Dei verbum nimis vulgabitur, atque commune fiet, & plures hoc sibi ministerium vendicandi occasionem arripient? Verum iis, qui hæc loquuntur, nonne id reddi potest, quod Moyses olim enixius flagitantibus, ut prohiberet, ne illi, in quos Spiritus Dei descenderat, ut ipse, Dei mandata annuntiarent, *Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum?* Num. 7. Nonne ad majorem Ecclesiæ, atque religionis utilitatem optatus esset, ut omnes Evangelii veritates promulgarent? Qui vero præbet adminicula, quibus illi suppleatur scientiæ, atque studio, quæ ad id maxime requiruntur, nonne eorum zelo velificatur, qui ad præstantissimum hoc munus divinitus evocantur? Unam Dei gloriam in ministerio adeo sancto perquirimus, & cum summo ille Legislatore ex animo euperemus, ut omnes prophetarent, illi saltem super quos fieret spiritus Domini. Verum hic metus, præterquamquod injustus est, non satis validis rationibus innitur. Eraditi quippe concionatores, atque in hoc dicendi genere exculsi factis se produunt, & scubi alienis unum inventis, ea ita applicat, ita exornant, ita distribuunt, ut satis liqueat, egregium artificem majorem semper addere perfectionem materiæ illi, quam elaborat. Adde his, si libet, collectionem hanc licet omnibus utilis esse possit concionatoribus, in eorum tamen gratiam fuisse concinnatam, quibus non satis scientiæ, studique suppetit, ut citra alienam opem hoc munere valeant perfungi.

Præter hæc objectionem, quæ generatim ad opus univèrsum pertinet, aliæ plures æquius in singulas partes, in quemlibet nempe paragraphum proponuntur. In primum quidem multiplicem sermonum synopsis in dato argumento continentem; nonne satis fuisset, ajunt, tria tantum, vel quatuor ad summum concionum systemata adferre cum divisionibus, ac subdivisionibus suis, quam majorem afferre numerum, ubi evitari non potest, quominus alia in aliis reperiantur, & sæpe non nisi variis verborum circuitibus adhibeatur, ut veritas eadem latius proferatur, majoremque in lucem vocetur? Fateor quidem, hæc concionum texturas meliores futuras, ac minori cum labore adimplendas, quod consilium statim quidem cogitanti mihi obvium occurrit; verum cum ex plurimis concionatoribus idem argumentum pertractantibus raro contingat, ut duo in omnino eandem cogitationem, eandemque divisionem concurrant, operæ me facturum pretium arbitratum sum, si postquam unam, alteramve ex hujusmodi structuris concionum satis extendero, deinde plures subjiciam generali, succinctaque divisione contentus, ad quas exornandas ex sequentibus capitibus satis copie suppetere valeat: præterquamquod hoc pacto aliorum mentes excitamus ad nova concionum systemata excogitanda, si quis propria præferre mallet inventa, vel ad duas, tresve simul ex al-latis partitionibus conjungendas, si una tantum nimium sterilis videretur.

Quod ad alterum paragraphum pertinet, qui satis amplam auctorum continet nomenclaturam, qui in propositum argumentum elaborant, sanctos videlicet Patres, Asceticos libros, concionatores neotericos, & eos, qui ingentem ejusdem materiæ suppellectilem compararunt, ea, quæ ab aliis dicta fuerunt, colligentes; quamvis fortasse pluribus in rebus defecerim, meminere tamen lectiones, quidnam mihi proposuerim, cum hoc immensi laboris opus suscepi, quin aliquid exemplar ob oculos meos versaretur; ac deinde cogitent rationem, qua susceptum opus explevi, quin aliter facere possem: hæc enim quedam erit veluti generalis responso ad ea, quæ obijci possunt; plura enim occurrunt obijcienda, ubi res non prædicæ, sed theoreticæ solum consideratur. Primum quidem obijci potest, sanctos Patres servato temporis, quo vixerunt, ordine in medium fuisse afferendos, quippe S. Augustinum ante S. Cyprianum collocare, & Origenem, ac Terullianum S. Hieronymum præponere incuris saltem vitium est, quod statim agnoscitur, & quod levi negotio corrigi, vel evitari potuisset. Hoc quidem patere videtur: verum atequam ostendam, quamam hæc in se fuisset difficultas futura, quid queso hoc ad concionatores pertinet, in quorum gratiam, atque utilitatem catalogus hic instituitur, utrum hic, vel ille Pater prior, vel posterior afferatur? Numquid de aliquo hic Chronologicæ puncto res est? Prædicatoribus ipsi cum sanctorum Patrum afferunt testimonia huncine ordinem servant? & dummodo locum, vel auctoritatem inveniant, qua suam sententiam confirmant, nonne hoc unicus querunt, quin de hujus, vel alterius prioritate laborent? nisi fortasse quedam agatur controversia, vel traditio, ubi temporis antiquitas posset argumenti locum obtinere. Ad hæc videmus eos, qui eorumdem sanctorum Patrum sententias, locosque in quolibet argumentum collegere, puta Granatensem, Busæum, Peraldum, Joannem Lopez, Dandinum, aliosque complures hoc sibi religioni vertisse? Hi quidem auctorum attulere no-

mina

mina nulla habita ratione vel temporum, de quibus non queritur, vel ordinis, quem obtinent, vel auctoritatis, quam majoris, minorive ponderis habent in Ecclesia. Attulerunt illi, quod & ipse præfati, auctores, locos, facta, prout se se ipsis offerebant, vel prout in ipso fonte legentibus occurrerant, & hac una in re omnem operam, curamque suam collocarunt, ut nihil scriptis suis inferrent, quod non apte proposito conducere. Neque in eo immoratus sum, ut auctores ipsos ex sua quemque professione cognoscendos proponerem; illos enim ex nomine tantum, operibusque indigitavi, ne sæpius repetens cujus vel ordinis essent, vel professionis, invidere velle videretur in hac potius, quam in alia plures excelluisse in concionibus elaborandis, quæ res consilere scribenti posset invidiam; dum e contra illos ex homine, vel operum titulo designans ratus sum omnem a me inanis curæ captandæ suspensionem, quæ semper abiit, longius abfuturam. Secundo quamplures ignotos libros memoravi, immo nonnullos, qui in lucem emissi non satis benigne excepti fuerunt: qua in re me quispiam forte improbat, eos tantum in medium afferendos esse contendens, qui in genere suo cohortem ducerent, vel eos saltem, qui optimi haberentur, & vocarentur. Id si fecissem, majorem proculdubio operi meo brevitate comparassem; verum non satis locupletem rerum suppellectilem instruere potuissem, quod unice mihi proposueram, præterquamquod pauci sunt aeterni libri, unde non aliquid notandum, atque in suum in eum perutile possit hauriri. Cur ergo, quin ea improberent, quæ ibidem improbanda inveniuntur, iis uti nefas sit, quæ illic optima occurrunt? Tertio nonnumquam etiam anonymos, & manuscriptos libros protuli, quorum auctores me latent, vel quorum nomina palam proferte non licuit, quandoquidem id unum animo meo est obversatum, ut scilicet concionandi ministerio facilitatem quam maximam concilerem, quin eorum gloria consulerem, ex quibus rerum copiam deprompsi. Quod ad illos attinet, qui operibus suis nomen proprium noluerunt affigi, quemadmodum illi ipsi censuere operam suam legentibus nihilominus utilem futuram, hoc satis est, ut mihi iisdem utendi facultatem tribuerent. Quarto, fateor tamen de industria me aliquorum nomina reticuisse, cum enim eorum scripta apud mortalium existimationem laborent, nomini quoque meo obscurata fuissent, & operi notam aliquam iniecerunt. Quod si eadem de causa quis mihi objecerit, nequaquam depromendos fuisse ex illis fontibus eos locos, qui ceteri possent desiderium & auctores ipsos cognoscendi, perlegendique, non sine periculo gradum faciendi ab auctorum existimatione ad existimationem doctrinæ, quis mihi vitio verteret, quod Tabernaculum Ægyptiis manibus exornare fuerim conatus? Ne autem aliquis eorumdem erroribus inquinetur, nonne satis cautum est, cum auctores ipsos ignotos reliquimus? Sin autem hæc ipsa regula usus non sum cum aliquibus, qui aliqua erroris, ac novitatis suspitione minime carent, credidi, cum nulla notati essent censura, vel interdictio, cumque alioquin præ omnium fere concionatorum manibus terantur, me & occasione auferre inde ea, quæ sunt mala, eligendi, & eorumdem percurrendorum laborem aliis evitare, & illis, qui hæc qualiacumque collectanea mea legerint, hanc voluptatem afferre, quod nihil non orthodoxum invenire possint, ac inoffenso pede percurrendum. Quin in iustitia nomine me redarguent ob Asceticorum, aliorumque librorum electionem, qui ea pertractant argumenta, de quibus loquar; quod scilicet plures prætermissim, qui minime iis cedunt, qui a me cum laude afferuntur, & qui longe plurima, & quæ optima ad conciones exornandas poterant suppeditari. Quid huic respondeamus objectioni, nisi quod cum huiusmodi librorum numerus, quorum in singulos dies novi quidam prodant, fere sit infinitus, omnes non potuerunt afferri, ac illis tantum usus sum, quos invenire licuit, & qui ad meam usque cognitionem pervenerunt; atque eos præ cæteris optavi, qui singulares in aliquo argumentum tractatus edidere; hi quippe ea de re fusi locuti sunt, remque ipsam intus, ut ajunt, & in cute explorarunt, & quidquid ab aliis per occasionem, ac transennam aliarum est, ad examen vocarunt, & collegerunt. Illis enim tantummodo usi sumus, qui gallice scripserunt, cum enim gallice concionaturis hoc præsertim opus consilere cupiebamus, cumque inde rerum leges invenire liceret, quæ pluribus concionibus elaborandis satis esse visa est, non opus fuit, alios auctores adire, qui alio idiomate elucubrati sunt. Hæc autem forsitan non contemnenda esset idea, si quis nationis alterius eruditus vir, ut gentis viri concionatoribus similem suppeditaret dicendi copiam, eademque insilens via eos proferret auctores, qui vernaculo sermone eadem argumenta tractarunt. Ipse ego novi, eam concionandi rationem, quæ viget in Gallia Exteriori nequaquam displicere, & longe plures se se eidem accommodare, gallicumque sermonem edicere, ut id facilius assequantur.

Circa eos sanctorum Patrum locos, quos quarto Paragrapho attulimus, si quis objecerit, quod non satis per extensum fuerint exscripti, quemadmodum plurimi auctores fecerunt, qui librorum suorum margines longis citationibus repleverunt, quas nonnumquam textui ipsi inseruerunt characterum varietate notatas, hoc operæ futurum fuisse pretium ducere, si de aliquo doctrinæ articulo, vel de controversia ageretur, ubi auctoris sententia colligitur ex iis, quæ allatum locum vel præcedunt, vel consequuntur; sed hoc nullius utilitatis futurum fuisse puto concionatoribus, qui brevioribus indigent sententiis, quibus aliquid singulare, & nitens vel in sensu, vel in verbis adfit, sive ad ea, quæ dicunt, confirmanda, sive ad conciones suas exornandas. Præterquamquod nimium excreverunt volumina ejus operis, quod jam satis amplum est, ac rebus magis necessariis refertum. Sufficit ergo sanctorum Patrum, aliorumque auctorum locos iis indicasse, qui eosdem in ipso fonte conferre voluerint.

Quod ad quintum Paragraphum attinet ea continentem, quæ ex Theologia penè depromi possunt ad propositum argumentum suscipiendum, ut eas omnes difficultates, quæ in hac re possent occurrere, omnino tollamus, considerandum est, hic nos loqui de Theologia suggestui accommodata, non de abstracta, atque contentiosa Theologia, quæ traditur in scholis. Itaque quin in controversis opinionibus in alterutram partem concedamus, constantia, & generalia traduntur principia ab omnibus doctoribus probata, quæ pro virili iis explanare argumentis admittitur, quæ extra vulgi captum non sint, & potius concionatoris, quam theologi more. Ideo unum D. Tho-

mam

mam in medium attuli, quippe cujus doctrina in rem nostram magis futura visa est; hominum enim temporum consuetudo, ac ratio non sinunt, ut alii citentur, quorum sensus colligere, & afferre suppreffo nomine satis fuit.

Hic mihi reliquum est, ut Lectori meo faciam satis circa ea, quæ ad postremam attinent Paragraphum reliquis omnibus simul sumptis plerumque fusorem, ac prolixiorum. Continet autem delectos Asceticorum, neotericorumque concionatorum locos, hoc est excerpta quædam, quæ concionatoribus vel pro materia, vel pro exemplari esse possunt utilia. Qua in re animadvertendum est, ut argumentum, de quo agitur, accommodentur, necessario ex proprio loco fuisse divellenda, quod fieri minime potuit, quin aliqua vocula, vel aliquot etiam lineolæ adderentur, & locutiones nonnullæ immutarentur; non secus ac in quovis operum genere materia adhiberi nequit, quin disponatur, poliat, apretur; quod proculdubio in concionibus, aliisque sermonibus locum habere magis debet, cum ea, quæ ibi pertractantur, argumenta longe inter se differunt, ac distant. Exempli gratia, in quodam volumine de alia quappiam re pertractante insignis aliquis affulget locus, qui ad illud, quod præ manibus est, argumentum opportune traduci potest: hoccine fieri potest, quin verba, aut sensus aliquantulum inflectantur? Ita auctores, quorum loci a nobis afferuntur, subiraque nobis minime debent, neque nos tamquam rerum suarum falsarios insimulare, si aliquot lineolas obtruncatas viderint, ut brevitati consuleretur; vel aliquot adjectas offenderint, ut ipsorum sententiæ majorem in lucem vocaretur; non enim ea nobis est mens, ut censoria nota aliquid expungere, aut castigare, sed imitari, atque egregium aliquem locum ex ipsis mutari velimus; immo potius non injucundum illis accidere debet, eam mihi in eorum operibus facultatem usurpasse, quam & ipsi forsasse in alienis sibi vindicarunt. 2. Neque mirum esse debet, si omnes illi delecti loci non æque venusti sint, atque nitentes; persuasum enim omnibus est, ea quæcumque in sermone aliquo continentur, non esse ejusdem roboris, & venustatis, quemadmodum in tabula non omnes colores æqualiter nitent: quidam enim ibi obsecuti ad umbras experimendas, atque ut ex eorum oppositione alii magis effulgeant, requiruntur, & quodvis argumentum modo profus diverso pertractandum est, nisi forte rebus in omnibus characterem sublimem affectas. Respondere nihilominus possum, me nihil ex auctore quopiam delegisse, ubi non inveniretur aliquid singulare seu propter sententiam, seu propter eandem efferendi varietatem, leporeque, seu propter characterem egregie expressum; quod si non omnia ejusdem erunt speciei, ac dignitatis, nihil tamen humile inveniri, quod humi repat, ac orationi dedecus, ac virium possit afferre. Neque negotium alieni facessere debet styli diversitas; hi enim loci ex variis auctoribus deprompti sunt, quorum singuli suam habent cogitandi, scribendique rationem. Illud autem a me evitare nullatenus potuit, quod videlicet, quemadmodum auctores, ex quibus loci desumpti sunt, in eandem sententiam concurrunt, ac verbis tantum differunt, iisque schematum lenociniis, quibus cuique illam plagam esse ferre, accidit nonnumquam, ut sententia eadem aliter, atque aliter expressa pluribus in paginis inveniantur. At enim nonne satis fuerit hæc omnia deinceps collocari, quin ita transferrentur, vel eandem sententiam semel tantum proferte? Id æquius futurum fuisse non diffiteor; at certe consilio meo minus aptum fuisset, quippe hoc mihi propositum esset, ut non solum varias in idem argumentum sententias, verum etiam varias ejusdem sententiæ efferenda rationes afferrent. Cæterum quantum legentibus nausæam movisset videre eodem in loco rem eandem aliis aliisque verbis recocctam!

Unum tantummodo mihi reliquum est diluendum, in quo non satis video, qua ratione excusare me possim, nisi aperte fatear, mihi nequaquam felicius ingenium esse, neque in hoc scribendi genere magis exercitum, quam illis, qui ante me molam eandem versarunt, qui sæpius lapsi sunt, ubi auctores, & eorum opera, ex quibus sua compilarant, citandi fuerunt. Diligentissimus quisque, & illi ipsi, qui optimorum Criticorum laudem sunt nacti, decepti nonnumquam fuerunt, alioque deceperunt, qui ipsos subsequuti sunt alium pro alio auctore defumens, vel sententiæ alicujus non negligentius, ac falso notantes. Igitur me ipsum hoc errore non purgo, qui certe inevitabilis videbitur in tot auctorum collectione, tot operum citatione, ac tanta varietate, qua auctores opera sua diverserunt. Fieriine posset, ut ne unus quidem error obrepisset? Quid tamen hæc in re ceperim consilii, nunc afferam. Quod ad Scripturæ locos pertinet, eos ad unguem protuli, & vario characterem notandos curavi; sicubi vero brevitate gratia, vel ut sententiæ perspicuitati consulerem, ea, quæ distabant, conjungenda fuerunt, atque aliter efferenda, margini quidem locum adscripsi, in contextu vero nullam characterum mutationem fieri volui. In locis vero sanctorum Patrum afferendis non adeo religiosus, & diligens fui; affirmare tamen audeo, ubi brevitate ergo illos de verbo ad verbum excubendos esse non censui, me tamen admissum fuisse, ut hoc sine sententiarum detrimento efficeretur. Verum cum ea, quæ a me afferuntur, in ipso fonte lecta minime fuerint, loci illi, quos fidei auctorum, qui eos collegerant, innixus attuli, a me ad unguem descripti fuerunt; & fieri potest, ut editionum, & ordinis ipsius, quem interpretes, atque critici sanctorum Patrum operibus tribuerunt, quemadmodum S. Augustini, Ambrosii, aliorumque libris accidit, varietas efficiat, ut in eo, qui memoratur, loco minime inveniantur; qua in re tamen lætorem monitum volo, in collectaneis mei sanctorum Patrum locos juxta primævas, antiquaque editiones citari. Quod vero ad neotericos auctores spectat, ex quibus decerpimus aliqua, pro certo haberi potest; illos in memoratis libris, & locis inventum iri, quamvis paulo immutatos propter eas rationes, quas superius attulimus. Operæ tamen pretium non duximus semper locum, caput, vel articulum proferre, ubi sunt inveniendi.

PRO.